



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

58. Feria 3. D. Iesvs ardentissimus salutis nostræ amator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

92 FERIA 3. DOM. SEPTUAG.

gant, intellige quæ loquantur, quàm sancti odorati
sunt, quidquid illa eructat plenitudo. Verbum bonum,
mores compositos, affectus pudicos, sensus
pacificos illa interior sinceritas ubiq; diffundit.
Certè verba, quæ sunt spiritus & vita, in lin-
gua D. IESU uberrimè post cænam resonue-
runt. Num idem experior? si non, vitio meo
accidit, ut cibus optimus malis humoribus
ventrem occupatum lædat.

MEDITATIO LVIII.

FERIA 3. DOM. SEPTUAG.

D. IESVS ardentissimus salutis nostræ
amator.

ASPICIAM D. IESUM amore magis ruben-
tem, quàm carbonem igniti apud Isaiam.
Petam eum intelligere.

CONF. I. Quanta debeat esse salus nostra,
quam Deus sic nobis procuravit, vi cuius tam
constantis fuit voluntatis prosequendi sem-
per, & exercendi media salutis, efficaciterque
deserendi omnia ejusdem impedimenta: quæ
firmi propositi, decretique nulli bono licito,
jucundo, honorifico, vel utili adhærere, sed
illud salutis nostræ causa relinquere, nullam-
que molestiam, ignominiam, aut detrimen-
tum ita perhorre, ut ea expedientia salutis
nostræ sponte non subiverit. Unde inferam
intolerabile esse, cum ille, ut nos pro nostra
ipso.

ipforum salute doceret, non dedignatus sic
tam humilia perpeti, si nos, quorum salus
agitur, recusemus.

Conf. 1. Ut gratus sim amatori meo super
omnia, statuam 1. aestimare summè summū
bonum meum, paritèrque timere, ne hoc
bono frustrer, & in summum malum ei oppo-
situm incidam. Amor hic facillima reddet
omnia pro salute exequenda, timor reddet
cautum in agendo: periculosum enim mo-
mentum omni creaturæ, quo à creatore se-
ipsā averti potest, seipsā ad Deum non redi-
tura. Surgit hic amor ex cognitione perfe-
cta salutis: timor ex cognitione privationis
ejus, seu mali oppositi. Agnitionem hanc
coelitus petam, quia naturalis valde obscura
est, & ad permovendum solide & constanter
voluntatem imbecilla. 2. Amabo summè
media salutis, a ctus humanos bonos; odiōq;
habebo efficaciter salutis impedimenta, om-
nes a ctus malos. 3. Nihil tam charum erit,
quod nolim perdere: nihil tam adversum,
quod nolim assumere salutis meæ causā,
quam nulli bono temporali præponam, il-
lorum sortem deplorans, qui ab hoc summè
bono sine deviant.

Conf. 3. Deviare homines ab hoc summo
bono, vel quia Deum ignorant, vel quia co-
gnitum non credunt, vel quia cogniti & cre-
ditu

diti obliviscuntur, vel quia memores illius, passione urgente eo tantisper carere non timeant: quia eum recuperare se iterum posse confidunt, vel quia ex diabolica malitia obores Dei eum contemnunt, neque cum eo in æternum habitare curant, sed magis cum demone id eligunt. Detestabor has quinque causas, & per quinque vulnera Christi auxilia efficacia petam ad eas avertendas.

MEDITATIO LIX.

Feria 4 Domin. Septuag.

De Obedientia D. IESU.

Aspiciam D. IESUM Patri æterno obedientem, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, Ioan. 14. Petam agnoscere Filij Dei obedientiam, & imitari.

Conf 1. Obedientiam esse virtutem, quæ præcepta majorum exequitur, quia præcepta sunt. Actiones Obedientiæ sunt decem. 1. Iussa majorum honesta velociter, viriliter, humiliter, constanter exequi. 2. Adversus affectus nostros, & inclinationes obtemperare. 3. Voluntatem abnegare, & hilariter iussa aggredi. 4. Iudicium nostrum cohibere, & adhibitis rationibus pro sententia Superioris nostram illi subijcere. 5. Si duriter, stultè, contumeliosè, sine gratitudine ad ardua mittamur, libenter parere. 6. *Æquè bonis ac malis*